



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

Epistola Arcadii Imperatoris Ad Innocentivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

PISTOLA  
ARCADII IMPERATORIS  
AD INNOCENTIVM.

*Responder præcedenti.*

Ex Glyca  
annal. part.  
4.

**N**ORVNT omnes homines mentis compotes, commissa per ignorationem nec diuinitus nec per leges puniri, neque adeo quemquam alterius nomine supplicium luere. Quod quidem propterea scripsi, ut mansuetudinem tuam certam redderem, nos nihil eorum cognitum habuisse, quæ nostris antistitibus & clericis acciderunt: cuius rei testem benignum illum Deum imploramus. Nimirum purus & innocens sum, quod ad ipsorum condemnationem attinet: quippe cum eorum communione sim usus, cause nihil erat, quamobrem eos affligeremus. Quod autem attinet ad filiam tuam Eudoxiam; scito me illi parum moderate pro ratione delicti mercedem retulisse: quo sane factum est, ut ex eo mœrore & angustia, diffici grauissimaque correpta ægritudine decumbat. Igitur quod supereft, enixe te obsecro, ut nos a segregatione liberes, nec multipliciter punias: non enim ipse Dominus idem ob delictum bis hominem percutit.

PISTOLA XXXI.  
INNOCENTII PAPÆ I.  
AD THEOPHILVM ALEXANDRINVM  
Episcopum.

*Theophilo scribit neque ipsum neque S. Ioannem Chrysostomum a sua communione alienos esse; quod si ipse contra Chrysostomum acta iusta esse confidat, ad Synodum, ubi illius causa agetur, accedat.*

Ex Palladio in vita  
B. Chrysost.

**F**RATER Theophile nos & te & fratrem nostrum Ioannem communionis nostræ esse decreuimus, sicuti & in prioribus literis aperte satis expressimus, & nunc in sententia nostra, & voluntate perdurantes, rursus eadem scribimus. Et quotiescumque scripseris, nisi debitum sequatur, conueniensque iudicium, propter ea, quæ ma-